

DISPUTATIO THEOLOGICA
 De
PROVIDENTIA
 D E I,

Qua

Deo Duce atq; auspice,

S U B P R A E S I D I O

Plurimū Reverendi, Praclarissimiq; VIRI,

DN. M. NICOLAI LAUR: NY-

COPENSIIS, S.S. Theol; Profess: publici eximij,

Venerandæ Facult. Theolog: p. t. Decani Spectabilis, nec

non Pastoris in Sag: longè meritissimi; Præceptoris,

fautoris & promotoris ætatem suspiciendi,

Publicè ventilandam proponit

LAURENTIUS SIGGONIUS

Svecus, S.R. M.tis Stipendiarius

Ad Diem 9. Maij in Auditorio Majori Anno 1656,

•(0)•



A B O Æ,

Excusa à PETRO Hansen/ Acad, Typog.

*Admodum Reverendo in Christo Patri ac Domino,
D.M. SAMUEL NIC. ENANDRO, Inclytæ Diœcesios Lincop, Episcopo gravissimo, Theologo ac Philosopho Eminentissimo, Patrono suo reverenter suspiciendo ac summè devenerando.*

NEC NON

*Reverendis pietate, eruditione & experientia Clarissimis VIRIS,
Pastoribus, Consistorij Lincop,
ADSESSORIBUS, Gymnasij LECTORIBUS & RECTORIBUS, Patriæ luminibus, columinibusq; desideratissimis; Fautoribus & Promotoribus æternum devenerandis.*

Quemadmodum &

*VIRIS Reverendis, Clarissimis Atq; humanissimis;
D. M. ARVIDO RYDELIO, Pastori VVestervichino vigilissimo, Fautori & promotori plurimum honorando.
D. M. JACOBO Lindbohm/ Pastorii in Gladhammar Meritissimo fautori, Praeceptorii quondam sumè devenerando.
D. OLAO SUNON: LINCOLN. Pastorii VVimmerbyensium dignissimo, fautori & benefactori singulariter venerando.
D. PETRO MART: Pastorii in Mörlunda fidelissimo, Fautori & amico singulariter colendo.*

Illiis Patronis & Mecenatibus observantissimis, jugi q; obsequio suspiciendis; Fautoribus verò his & Promotoribus hocce exercitium Academicum in venerationis, observantiae & proui affectus rex meijor humiliter & officiose inscribit offertq;

Laurent, Siggonius.



D.

PROVIDENTIA DEI Thesis I.



Reator omnium Deus ab opificio à se condito cum non discedat, sicut Architectus absolute à edificio, abjecta omni deo curâ discedit; Sed omnipotentiâ suâ, illud sine intermissione etiamnùm conservat. Hinc locum de creatione immediate sequitur locus de providentiâ D E I.

II.

In Theoriâ de Providentiâ Dei duo veniunt consideranda, illius videlicet tum *Existentia*, tum *Essentia*,

III.

Existentia Providentiae Divinae probatur. 1. Ex Testimonijs Scripturæ, tum. V. tum N. T. ti. Testimonia V. T. Job. 12. v. 9. 10. Psal. 36. v. 7. & seq. Psal. 113. v. 5. Proverb. 16. v. 9. Sap: 6. v. 8. cap. 12. v. 13. & cap: 14. v. 3. Testimonia N. T. Joh: 5. v. 17. Act: 17. v. 24. 25. 26. Coll: 1. v. 17. Heb. 1. v. 3. 1. Pet: 5. v. 7.

IV.

2. Ex admirandâ rerum omnium conservatione, sine quâ mundus ictum oculi Subsistere non posset, si illi Deus regimen suum subtraheret; sed ut omnia ex nihilo creata sunt, ita in nihilum redigerentur, nisi à Deo sustentarentur. Psal. 148. v. 4. Sap: 11. v. 26.

A 2

V.

V.

3. Ex operibus Dei singularibus, quorum *alia* concernunt pios, qualia sunt: Conservatio Noæ & domus eius tempore diluvij, Genes. 8. v. 18. Liberatio Loti ex incendio Sodomorum, Gen. 19. v. 12. Directio venundationis Josephi Gen. 45. v. 5. Mosis è mari extractio, Exod. 2. v. 5. Protectio Israëlitarum in deserto, Deut. 2. 7. & alia innumera; quibus Deus providam suam atq; paternam curam peculiariter suis demonstravit. *Alia* Impios, ut sunt: Destructio mundi antediluviani Gen. 7. absorptio Chorè, Datan & Abiram, Num. 16. v. 31. Inflammatio Sodomitarum, Gen. 19. Submersio Pharaonis ejusq; exercitus in mari rubro, & alia innumera, quæ Dei regimèn abundè demonstrant.

VI.

Essentia providentiæ Divinæ definitione patet, quæ talis esto: Providentia divina est actio omnia scientis & videntis Dei, quâ nullâ intermissione res omnes à se conditas & totius universi cursum paternè conservat, curat, fovet, gubernat, moderatur: bona omnia clementer promovens, mala verò severè cohibens, & ad bonos fines sapienter dirigens.

VII.

In hac definitione duo perpendenda veniunt, vñ. *Definitum*, & *Definitio*. Circa definitum tria occurserunt notanda:

1. *Etymologia*, quæ Græcis est προφέτης à προφέτω, latini providentiam dicunt à provideo, hoc est, Prospicio & Proculo, & significat non nudam rerum notitiam, sed & earum paternam curam. Sap. 14. v. 3.

VIII.

2. *Homonymia*. Vox Providentiæ sumitur i. Προφέτης, Scu-

seu partialiter pro opere Dei vel *Intero*, & sic refertur
vel ad mentem & significat $\pi\varphi\gamma\nu\omega\sigma\tau$, hoc est præcogni-
tionem, quâ Deus omnia in stabili $\tau\varphi$ $\nu\nu$ intuetur, novit
& præsentissimè videt Act. 2. 23. vel ad voluntatem ; &
significat curam prospiciendi alicui, Heb: 11. v. 40. Græ-
cè dicitur $\pi\varphi\theta\epsilon\sigma\tau$: *Vel Extero*, & significat actualem
providentiam, quâ quis actu curam alicujus habet, eique
prospicit, Græcè dicitur $\delta\vartheta\alpha\eta\sigma\tau$, hoc est, Gubernatio. 2.
Oλιχως, seu totaliter, pro opere Dei *Intero* & *Extero*
Simul, & tria complectitur, $\pi\varphi\gamma\nu\omega\sigma\tau$, $\pi\varphi\theta\epsilon\sigma\tau$ & $\delta\vartheta\alpha\eta\sigma\tau$.
IX.

3. *Synonymia* complectens vocabula, quibus Sacra
pagina utitur ad explicandam & velut in clarâ luce po-
neundam Dei providentiam, cujusmodi sunt: 1. *Visio*
Gen, 22. v. 8. 2. *Præscientia*, Act. 2. v. 23. 3. *Proposatum* &
Decretum Act. 4. v. 28. 4. *Beneplacitum* & *Consilium* vo-
luntatis Dei, Act. 1. c. 5. *Manus* & *Potentia* Dei Act. 4.
v. 28. Quibus vocabulis Synechdochianâs tota providen-
tiæ actio intelligitur. 6. *Dominium Cæli* & *terræ*, Act. 17.
v. 24. 7. *Omnium Rerum sustentatio* ibid. v. 28. 8. *Rer-*
um omnium Conservatio Coll. 1. v. 17: 9. *Gestatio*, Heb.
1. v. 3. 10. *Ordinatio*, Psal. 119. v. 91. 11. *Cura*; 1. Pet. 5. v. 7.
12. *Administratio*, Sap: 8. v. 1. 13. *Gubernatio*. Sap. 14. v. 3.

X.

Definitio resolvitur in *Genus* & *Differentiam*.
Genus Definitionis est actio, divina enim providentia, in
suâ significatione *Tres* includit Actus: Quorum *Primus* est
 $\pi\varphi\gamma\nu\omega\sigma\tau$, seu præscientia rerum. Ad providentiam
enim Dei pertinet, quod omnia quæ in mundo sunt &
sunt intueatur, cognoscat & intelligat, cum ignoti nulla
sunt cura.

XI.

Secundus actus Providentiae Divinæ est $\pi\varphi\theta\epsilon\sigma\tau$.

propositum, seu decretum & voluntas prospiciendi rebus omnibus. Omnis namq; voluntariæ actionis principium est voluntas, Eph. i. v. 11. Act. 15. v. 18. Ac prvidi est non solum habere notitiam, sed etiam voluntatem prospiciendi rerum necessitatibus. Estq; hæc *agens* Dei vel *Generalis*, ad omnes creatureas sece extensis. Decrevit enim Deus ab æterno creatureas, creando producere, creatasq; conservare ac gubernare; Vel *Specialis*, solos homines concernens, eosq; vel *Omnes*; quos Deus ab æterno in seipso statuit & proposuit in Adamo perituros in Christo restaurare, sibiq; reconciliare, & per media ordinaria salvare, Eph. i. v. 9. & 10. Vel solos *Credentes*, quos placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere, i. Cor. i. v. 21.

XII.

Duo actus priores sunt æterni, qui sequitur *Tertius* illorum actuum. Executio est *Temporalis* & æterna, diciturq; *διοίκησις* seu *administratio*, quæ in actuallí omnium rerum sustentatione & gubernatione consistit. Sunt igitur *διοίκησεως* duo actus, *conservatio*, seu *sustentatio* & *gubernatio*.

XIII.

Conservatio est actio Dei, quâ ipse totum mundum & omnes creatureas, quæ in eo sunt potenti suo verbo conservat & sustentat, Heb. i. v. 3. Coll. i. v. 17. Act. 17. v. 28. Versatur autem hæc conservatio Dei tūm circa creaturearum substantias & essentias, tūm vires & facultates, nè deficiant. Nam Deus nou modò singulis creaturis vires suas naturales in primævâ creatione indidit, sed etiam itâ occupatur circa res conditas & sufficientib; virib; instrutas, ut exserere & exercere eas non possint, nisi quatenus Præsenti Dei in uno moventur & diriguntur. Exemplo ut illustreremus: Sol initio à Deo est conditus, ut moveatur ab

ab ortu in occasum, & singulis diebus oriatur & occidat,
& motu illo suo Quatuor Annī tempora constituant, & hic
motus est soli naturalis & tamen planis verbis dicit Chri-
stus; Patrem suum cælestem esse eum, qui fecit Solem
exoriri super bonos & malos, Math. 5. v. 45. Et David
Psal. 74. v. 16. Unde manifestum evadit omnes creatu-
ras tam quoad essentiam, quam quoad proprietates &
agendi vires a Deo conservari.

XIV.

Gubernatio est actio Dei, quā ipse pro bonâ, liberâ
ac justâ suâ voluntate creaturarum motus & actiones
moderatur, dirigit ad certum finem, & aliquando inhibet,
impeditq; ut omnia tendant ad nominis Divini glo-
riam atq; laudem, hominumq; salutem, Act: 17. v. 28.
Prov. 20. v. 24. Psal. 33. v. 10.

XV.

Hæc de genere definitionis: Differentia sumpta est
a causâ efficiente, objecto, modo agendi & fine. *Causa*
Efficiens providentiae eadem est, quæ creationis sc. Deus
Trinus, Pater, filius & Spiritus Sanctus. Omnia nam-
quæ pater per filium in Spiritu S. in mundo conservat &
gubernat; Quod probatur 1. *Scripture Testimonij* tum
Generalibus totam Trinitatem respicientibus, Psal. 113. v.
5. Act. 17. v. 28. tum *Specialibus* singulas personas indi-
gitantibus. Sic Providentia tribuitur, 1. Deo Patri,
Sap: 14. v. 3. 2. Deo filio, Coll: 1. v. 17. Heb, 1. v. 3. 3.
Deo Spiritui Sancto, Job: 33. v. 4. Sap: 1. v. 7.

XVI.

2. *Rationibus*, quia 1. ad Providentiam Divinam re-
quiritur omniscientia, omnipræsentia, summa Sapien-
tia & benevolentia. Atq; ista non nisi soli Deo cons-
veni-

veniunt. 2. Esse & conservari eidem authori, eidem-
què principio accepta feruntur.

XVII.

De Objecto Providentiæ divinæ alia est aliorum sen-
tentia. Referunt Clemens Cyrus & Augustinus fuis-
se quosdam, qui putaverunt sublimes quidem mundi
partes à Deo gubernari; Inferiores verò casibus potius
& fortuitis motibus agitari. Horum è numero fuit O-
vidius inquiens Lib. 2. tristium.:

Utg. Deos, cœlumq. simul sublime tuenti

Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.

Hieronymus commentario suo in Cap: i. Habacuci, Spe-
cialem singulorum animalelorum curam divinæ sub-
trahit providentiæ, ratus, quod fatui adulatores Dei sint,
qui vilia ista animalia Deo curæ esse contendunt. Est
autem Providentiæ divinæ objectum vel generale vel
speciale.

XVIII.

Generale Objectum est mundus universus, & singula
quæ in mundo sunt, aut fiunt, tam parva quam magna.
Occupatur enim Providentia divina non solum circa na-
turæ cœlestes & incorruptibiles, sed etiam sublunares;
non solum circa rerum species, sed etiam singula indivi-
dua; Imò non solum circa rerum Naturas, sed etiam ea-
rum vires, operationes & effecta: omnia itaq; & singu-
la in mundo sive sint bona & honesta, sive mala & tur-
pia, omnia divini Numinis gubernationi sub sunt, Hebr:
1. v. 3. Coll: 1. v. 17.

XIX.

Objectum providentiæ divinæ Speciale sunt Creaturæ vel
Incorporeæ, ut Angeli; Vel Corporeæ ut reliquæ creaturæ,
quarum aliæ sunt Inanimatæ, aliæ animatæ. Creaturæ
Inanimatæ sunt 1. Cœlum, Psal: 19. v. 1. 2. Terra, Psal: 104.
v. 5. 3. Mare, Psal: 104. v. 6. 9. 4. Sol, Psal: 19. v. 5. 6.

§. Luna Psal: 136. v. 7. & seq. 6. Stellæ Psal: 147. v. 4.
7. Nubes & pluviaæ Psal: 147. v. 8.

XX.

Creaturæ Animatæ sunt vel sensu Carentes, ut plantæ Matth, 6. v. 19. 1. Cor. 13. v. 36. vel Sentientes, eæq; vel Irrationales: ut Bruta, quorum planè paternam & clementem Deus curam agit, eisq; pabulum suum in tempore opportuno suppeditat. Job. 39. v. 3. Psal. 147. v. 9. Math: 10. v. 29. vel Rationales: ut homines, præsertim a. pii & fideles, quorum vitam, incolumitatem & salutem tam Temporalem, quam æternam, paterno planè modo Deus cælestis Pater sollicitè curat, Deut: 32. v. 9. Psal. 91. v. 11. 1. Tim: 4. v. 10.

XXI.

Hæc de objecto; succedit Modus agendi Providentiæ Divinæ; qui dispescitur 1. in Ordinarium & Extraordinarium. *Modus ordinarius* est, quando Deus circa res ita versatur Providentiâ suâ, ut divinus concursus & actio attemperetur quasi rerum conditarum naturis. Huc referenda sunt opera Dei, quæ fiunt ministerio. 1. Caurarum naturalium, quæ non minus Deo adscribuntur, quā si immediatâ Dei actione producta essent. Job. 10. v. 8. Psal. 139. v. 5. 2. Angelorum, qui providentis & suos paternâ sollicitudine curantis Dei mandata capessentes, iusta fidelissimè omnia exsequuntur, Psal. 91. v. 11. Hinc appellantur Ministri Dei, Psal: 104. v. 4. Heb. 1. v. 14. Item Vigiles, Dan. 4. v. 10. quod ad agnoscendam, prædicandam & exsequendam Domini voluntatem diligenter excubias agant. 3. Piorum & Sanctorum Hominum, Psal. 77. v. 21, Joh, 16. v. 8.

XXII.

Modus Extraordinarius est, quandò Deus circa quasdam res sive efficiendas, sive impediendas absolutâ quādam

& planè omnipotenti suā potentia ita versatur, ut consuetus naturæ ordo immutetur. Atq; hoc modo aliquando agit immediate & sine medijs. Sic solis cursum ipse Deus immediate stitit, Josuæ 10. v. 13. 2. Reg. 20. v. 10. Exod: 10. v. 22. Aliquando utitur medijs, sed extraordinariis & præternaturalibus. Sic Deus per corvos voraces pavit Eliam 1. Reg. 17. v. 6. Ex maxillâ asini aridâ potavit Samsonem, Jud: 15. v. 19. Sustentavit Israélitas per Manna in deserto, Exod: 16. v. 14.

XXIII.

2. In Generalem & Specialem. *Generalis* est, qui in genere omnes creaturas Divinæ Providentiae subjectas concernit, Sap: 14. v. 15. Col: 1. v. 17. Heb: 1. v. 3. Modus providentiae diuinæ *Specialis*, qui circa singularum creaturarum & cum primis hominum sustentationem & gubernationem versatur, duo potissimum respicit, hominis tum vitam, tum actiones. *Vitam* hominis Deus solicite curat. I. *Ratione ortus*, sive *Ingressus*, idq; tribus modis 1. Quoad *Hominis Conceptionem*, Act: 17. v. 25. 2. Quoad *miserandam Fetus in utero Materno Formationem*, Job. 10. v. 3. 8. & seq: 3. Quoad *Hominis Nativitatem*, sive ejus ex utero *Educationem*, Job. 10. v. 18. Psal. 22. v. 10. Psal: 71. v. 6.

XXIV.

II. *Ratione Progressus* & totius vitæ cursus, quem Deus non solum in genere dirigit, Deut: 30. v. 20, sed etiam in Specie omnes vitæ nostræ gradus, utpotè Infantiam nostram: psal: 22, v: 10: 11: Juventutem, psal: 71, v: 5, ipsam deniq; Senectutem, Psal: 71. v. 9. 18. III. *Ratione Egressus & Exitus*, circa quem Divina Providentia ita versatur, ut cuiq; homini certum vitæ terminum constituat & determinet, Job. 14. v. 5. XXV.

Actiones hominum non sunt unius generis: quædam enim

enim sunt bonæ, quædam malæ. Circa utrasq; providentia divina occupatur, sed magno & valdè cum notabili discrimine. Inter Bonas rursum aliæ sunt Civiliter bonæ, circa res externas occupatæ; aliæ Spiritualiter & ad Christianismi rationes pertinentes. In Actionibus Civiliter bonis ita concurrit divina providentia, ut non solum sustentet naturam agentem, ac vires agendi largiat, sed etiam actiones præcipiat, 1. Tim: 6. v. 18, probet, Psal. 147, v. 11. ac juvet, Rom. 8, v. 26. Interdum ad illas peculiariter etiam homines non renatos excitet atq; præter intentionem illorum, à quibus fiunt, ad fines utiles transferat. Ut quod Uxor Pilati monet maritum, nè quam injustam vim faciat Jesu Nazareno, & alia multa quæ etiam à Personis Ethniciis recte facta leguntur...

XXVI.

Actiones verò Spiritualiter Bonas ita præcipit ac probat Deus, ut per Spiritum S. eas ipse efficiat ac operetur. Cum aliæ sine peculiari Spiritus S. motu ex nobis, tanquam ex nobis, idonei non simus aliquid cogitare, nè dum facere, 2. Cor. 3, v. 5. Phil. 2, v. 13. Has sicut & illas donis & præmiis tandem singularibus exornat, 1. Tim: 4, v. 8.

XXVII.

Malas Actiones, seu Peccata hominum quod spectat, tenendum Deum circa easdem & generali & Speciali actione versari. In Genere circa peccata occupatur. 1, Præsciendo, ita ut antequam eveniant, prævideat & certò cognoscat, Syr: 23. v. 28, & cap: 39. v. 24. 2, Naturam Sustentando, Motumq; Largiendo, Act: 17, v. 28. Accurate hic est distingvendū inter ipsam Actionem & Actionis vitium. Actio, quæ talis, peccatum non est, aliæ omnes actiones essent peccata; Sed Vitium & ἀταξία actioni adhærens. Actio ipsa est à causā non solum particulari, sed etiam, us

iversalis, videlicet Deo: vitium vero, seu *ἀρχή* à causa particulari tantum, videlicet Satanā & hominis voluntate à Deo aversa ortum trahit.

XXVIII.

In Specie circa vitiosas hominum actiones occupantur, 1. *Improbando* ac *Detestando*, Psal: 5. v. 5. 2. *Severissimis legibus Prohibendo*, Exod. 20. v. 2. & seq. 3. *Permittendo*, Act. 14. v. 16. Deus permisit gentes ingredi vijs suis. Ubi notandum, permissionem hanc non denotare facti licentiam, sed tolerantiam. Unde permettere hoc loco non est approbare & veille, sed non impedire ob finem utilem, quem novit Deus ex illis elicere. 4. *Peccatorem Deserendo*. Quando enim homo resistit Spiritui S. & ruit in sceleris, tum Deus gratia suā tam hominem deserit, vel concessam subtrahit. Sic postquam Saul projecisset verbum Jehovæ, 1. Sam. 15. v. 16. recessit Spiritus Jehovæ ab eo, 1. Sam. 16. v. 14. 5. *Satanæ Tradendo*, quos enim deserit Deus, eos Diabolus suscipit, Joh. 13. v. 27. 6. *Metas Præfiniendo*. Sæpè enim in medio impietatis ac scelerum cursu Metas objicit impijs, Esa. 8. v. 10. 7. *Bonum exillis Eliciendo*. Deus enim pro infinita Scientia, Sapientia & bonitate suā peccata ad bonum & salutarem finem præter & contra Satanæ ac peccantium intentionem dirigit. Sic venditionem Josephi à fratribus factam direxit Deus ad bonum finem, ut inserviret gloriæ ipsius, quæ illustris fuit in mirabili exaltatione Josephi, familiæ Jacobi, totiusq; Ecclesiæ conservatione Gen: 50. v. 20.

XXIX.

Finis sive Fructus providentiaæ divinæ est, reducere omnia etiam gravissima quæq; peccata ad Dei gloriam & piorum salutem, unde patet finem providentiaæ divinæ esse duplēm, *Primarium* & *Secundarium*.

XXX.

XXX.

Finis Primarius est nominis divini gloria, qui consistit in agnitione, 1. *Sapientia Divina*, quae ex sapienti & prudenti ordinatione conspicitur. Deus enim omnia ordinat, Sap. 12. v. 13. & 15. 2. *Potentia*, quia quæcunq; Deus vult facere, illa potest facere & facit, Psal. 115. v. 3. 3. *Bonitatis & Misericordiae*, omnia enim in mundo dirigit in bonum finem, ut ipse optimus agnoscatur, Psal. 145. v. 9.

XXXI.

Finis Secundarius est vel *Subordinatus*, ut *Salus hominū temporalis*, Gen. 50. v. 20, vel *Ultimatus*, qui est *salus aeterna*. Rom. 8. v. 28.

QUÆSTIONES.

I.

Quid sit *præscientia Dei?* *Resp.* Est notitia Dei aeterna, quâ omnia in perpetuo, stabili & immutabili rur, uno simplici actu simul aspicit & intuetur, Syr. 23. v. 29. Heb. 4. v. 13. Hinc Damasceno *præscientia Dei* est *præsens visionis scientia*.

2. *Quotuplex sit præscientia Dei?* *Resp.* *Triplex*. Generalis, Specialis & Singularis. *Illa* est Simplex rerum omnium tam malarū, quam bonarum notitia, Job. 34. v. 21. *Ista* notat prænotionem fidei in Christum, & ad solos fideles, sive electos Dei filios refertur, quos Deo cum evanxiæ quâdam & approbatione novit, Rom. 8. v. 29. *Hec* de solo Christo ejusq; merito prædicatur, Act. 2. v. 23. Hunc definito consilio præscientiâ Dei traditum cum acceptissetis, per manus iniquorum crucifixum interemistis, 1. Petr. 1. v. 20. Redempti estis pretioso sangvine Christi, præsciti ante mundi constitutionem.

3. *Quomodo præscientia differat a scientia, Providentia & pres-*

destinatione? Res. Differunt i. Scientia & Præscientia; Scien-
tia est rerum præteritarum & præsentium; Præscientia
v. est rerū futurarū. 2. Præscientia & providentia, i. Præsci-
entia refertur tantum ad intellectum; Providentia vero
ad intellectum & voluntatem. 2. Præscientia Dei per
se & solitariè intellecta non causam rerum præscitarum,
sed notitiam in mente Dei designat; Providentia verò
actionem denotat Dei, quâ sua in mundo opera poten-
tē & efficacitē administrat; Diaboli autem operibus li-
mites figit, eaq; suis certis finibus ordinat atq; determi-
nat. 3. Præscientia & Prædestinatio. i. Præscientia &
bona novit & mala; Prædestinatio autem Dei semper in
bono est. 2. Præscientia potest esse sine prædestinatio-
ne; prædestinatio autem sine præscientiâ esse non
potest.

4. *An præscientia Deo propriè tribuatur?* R. Mi-
nimè sed *κατ' αὐτὸν τὸν θεόν*. Nam Deo extra tem-
poris respectum æternitatem habitanti nihil præteri-
tum est, nihil futurum, sed præsentia simul omnia. Qua-
re res omnes ita sibi habet præsentissimas, ut neq; futura
velut è longinquo prævideat, neq; per *αὐτὸν* in me-
moriā revocet præterita, Psal. 90. v. 4.

5. *Qualis sit Præscientia Dei?* R. Non est in-
certa, fallibilis & mutabilis; sed certa, infallibilis & im-
mutabilis. Absit enim, ut Deus fallatur in suâ præsci-
entiâ: Sic enim Deus non esset Deus, id est, non esset Deus
omniscius, eiq; omnes rerum eventus non essent perspe-
cti. Falli igitur nullo modo potest Dei præscientia, si quis
dem novit incommutabilitē omnia, quæ futura sunt; i-
mō ut præsentissima intuetur, Num. 23. v. 19. 1 Sam. 15. v. 29.

6. *An Præscientia Dei rebus præscitis inevitabile
necessitatem imponat?* Resp. Nullo modo. Nam res

Præscitæ non dependent à præscientiâ Dei, sed præscientia Dei à rebus præscitis, quæ si aliter futuræ essent, aliter etiam Deus prævidisset, & quidem certò & infallibiliter; quia Deus intuetur omnia non tanquam futura, sed tanquam præsentia. Hocut planius evadat, distingendum est inter Objecta præscientiæ divinæ. Quædam enim sunt in solius Dei arbitrio potestatequæ posita, quæ & prævidet &, ut fiant, decernit, cuiusmodi sunt: Missio filii in carnem: resurrectio mortuorum, & alia multa, quæ necessariò eveniunt, non tamen respectu præscientiæ Dei, quæ annexi decreti. Quædam verò dependent à causis Secundis vel naturalibus, ut res naturales; aut ab arbitrio voluntatis humanæ, ut actiones hominum, quæ non ex prævisione Dei, sed ex suis dependent causis; quibus accidit, quod prævideantur. Id quod simili declarari potest. Sicut Astrologus prævidit ecclipsin lunæ venturam, quam tamen prævisione suâ non facit; Ita etiam Deus res omnes prævidet, quarum tamen causa illa Dei prævisio non est. Quinimò Deus prævidet malas hominum actiones, à quibus maximo- perè abhorret, juxta Aphorismum Davidis aureolum, Psal. 5. v. 5: Ideoq; secundum justitiæ suæ dictamen punit eas pænis temporalibus &, nisi agatur pænitentia, etiam æternis. Immutabilis proinde Dei præscientia, quæ talis, nec omnem ex rebus contingentiam & agendi libertatem tollit, nec absolu- tam rebus futuris necessitatem infert.

7. *An terminus vite humanae sit fatalis & necessarius?* r.
i: Disting; inter ipsam mortem & horam, atquè mortis Genus. Mors ipsa, licet respectu primævæ creationis & status primævi fuerit contingens, hoc est, in liberâ homini- nis voluntate posita; relictus enim erat homo in manu consilij sui, ut vel vitam, vel mortem eligeret, Eccles: 45. v. 15. post lapsum tamen desijt esse contingens &

evasit necessaria, planequē inevitabilis, *Necessitate videlicet Consequentiae*, ob antegressam causam, videlicet peccatum & comminationem divinam, Heb. 9. v. 27. *Horam & Genus Mortis* unicuiq; Deus Constituit non ex absoluto & eausas secundas omnes excludente decreto; sed respiciendo, partim ad causarum naturalium activitatem, complexionisq; varietatem; Partim ad voluntatis humanæ libertatem; Partim ad obedientiam & inobedientiam hominum erga Deum; Partim ad salutem & damnum electorū, quam ob causam Deus ex hac vitâ nonnunquam avocat pios, Sap: 4. v. 11. 2. Distinguendum inter constitutionem terminorum vitæ consideratam vel Respectu Divina Ordinationis atq; Providentia, & sic termini humanæ vitæ præteriri nequeunt anticipando vel differendo, quia providentia Dei est infallibilis. Deus enim omnia ab æterno præcognovit, & prout in tempore sunt, ita etiam à Deo prævisa sunt; Vel Respectu Causarum Secundarum tum Naturalium tum Voluntiarum, & sic termini vitæ non sunt ita fatales & absolutè necessarij, ut juxta causarum Secundarum varietatem prolongari vel abbreviari non possint. Quod exempla hominum maleficorum luculentè demonstrant, qui tempore eo quo naturaliter adhuc valent, strangulantur, percutiuntur gladio, subiguntur in rotam & alijs supplicijs extermiantur.

Hec pro instituti ratione de sublimi Providentia divine consideratione dicta sufficiant.